

5+6/96

IDIBVS DECEMBRIBVS
MCMXCVI

VARIVS
ROR VARIVS I
VMOR VARIVS I
RVMOR VARIVS I

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
ROR VARIVS
A D T A

TOMVS 19

FASC. 116

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Novistisne illum furciferum, quem a sinistra parte huius paginae videtis? Formido omnium, qui libros, acta diurna vel alia scripta cuiuscumque modi scribunt et edunt, est: Diabolus typographicus! Irridens nos ludibrio habet et clam in scripta nostra subrepat. Singulas litteras vel tota verba mutans vel supprimens ea, quae scripsimus et dicere voluimus, depravat, nonnumquam etiam in contrarium convertit. Cottidie exempla in actis diurnis animadvertere possumus.



Hunc diabolum typographicum pinxit Simone Aeschlimann

Nonnumquam scripta mendis typographicis mutata gaudium et risum nobis afferunt, nonnumquam auctores operibus deformatis moleste ferunt. Cito 'lex' fit 'rex', 'Venus' 'genus', 'suscipere' 'suspicere', 'amen' 'tamen', ut nonnulla exempla adhibeam. An ille monachus aeta-

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSI, in aedibus, quibus nomen aeschlimann publicity est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	24.--
In Germania	DM	39.--
In Austria	öS	276.--
In ceteris Europae terris	sFr.	36.--
In terris trans maria sitis	US\$	29.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann lic.phil.
Dr.phil. Emanuel Bernard
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat:

Christina Meier-Portner

Typographeum:
Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Stadthausstrasse 65
CH - 8400 Winterthur

Institutum pecuniarium:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei aeschlimann publicity herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	24.--
Deutschland	DM	39.--
Österreich	öS	276.--
Übriges Europa	sFr.	36.--
Übersee	US\$	29.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann lic.phil.
Dr.phil. Emanuel Bernard
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout:

Christine Meier-Portner

Druck:
Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Stadthausstrasse 65
CH - 8400 Winterthur

Bankverbindung:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

tis mediae, qui Novum Testamentum transcripsit et in illa narratione de trabe, quam in oculo nostro non videmus, et de assula, quam in oculo fratris nostri videmus, primam litteram verbi 'oculo' per errorem omisit et ita diabolo typographico auctore partem corporis valde mutavit.

Cur de illo diabolo scribam, interrogatis? Certe animadvertistis in libello 4/96 RUMORIS VARIi nos quoque a diabolo typographico visitatos esse: In prima pagina 'Kalendibus Novembribus' legistis; scribendum erat scilicet Kalendis Novembribus.

Speramus anno proximo diabolum typographicum nos quam minime visitatum esse, etiamsi nemo nostrum perfectus est et parvi errores nonnumquam gaudia quoque afferunt. Tamen dicamus: "Apage, satan!"

In hoc libello symbolas de argumento, quod libello II^o huius anni proposueramus, 'Nuntii ex mundo pelliculae' legere poteritis. Maximas gratias agimus omnibus, qui nobis scripserunt, sive de argumento proposito, sive de aliis rebus. Semper semperque symbolis egemus, et vestro auxilio nobis opus est, ut RUMOR VARIUS vivere et florere pergat!

Sit vobis annus novus faustus, felix, fortunatusque!

Valete!



Daniel Weissmann



Nuntii ex mundo pelliculae

In artis cinematographicae honorem

Inventum felix est hoc certe reputandum, quod terrae populos laetificare valet; femellae pariterque viri puerique tenentur assidue capti dulciter arte nova.

Orestes Carbonero



Ars septima diem natalem centesimum celebrat

Ars pelliculae cinematographicae iure ars septima nominatur. Imaginem, linguam, motum, musicam coniungit et animos spectatorum stimulat. Ars illa nuper diem natalem centesimum firma valetudine celebravit. Qua de causa permulti libri editi sunt, qui nos de originibus artis cinematographicae multum docent. Mense Decembri anni millesimi octingentesimi nonagesimi quinti fratres Lumière (Latine: Lumen) in caupona quadam urbis Lutetiae (Paris) primas pelliculas documentarias exhibent. Spectatores tesseris aditiales emere debent. Vir nomine Georgius Méliès, qui artis pelliculae magus nominabatur, pelliculam fabulariam invenisse dicitur. Iniuria autem in oblivionem adductus est. Ex contrario vir nomine Oscar Messter, inventor assiduus, qui negotia optime gerebat, semper memoria tenetur. Concentum artis, spectaculi, negotii, rationis rei publicae bene demonstrat. Octoginta annos ante, cum omnes terrae bello flagrabant, conspectus septimanarii illius viri celeberrimi erant. Certum est pelliculas sine ingenio actorum atricumque nihil valere. Inter asteres primae horae actrices praeclarae velut Asta Nielsen et Lydia Borelli memorandae sunt. Tempus earum in Italia revera 'Divismo' nominatum est.



Charlie Chaplin



Marlene Dietrich

Permuli asteres et feminae et homines secuti sunt. Inter actores Buster Keaton neglegendus non est. Philosophum Stoicum se praebebat et ob eam rem 'Vultus lapideus' (Anglice: Stoneface) appellabatur.

Barbara Maier




De festivalibus cinematographicis in urbe Helvetica nomine Locarno actis

Festivalium cinematographicorum summarium

Undequinquagesima festivalia cinematographica in oppido Helvetico nomine Locarno fiunt.

49. festival internazionale del film Locarno



8 - 18 agosto 1996

Festivalium programma ducentas triginta pelliculas continet.

Hoc anno nonnullae novitates praebentur:

E septendecim pelliculis, quae ad certamina pertinent, octo vesperi sub divo in area magna (vulgo: Piazza Grande) exhibentur. Prioribus annis pelliculae illius generis in cinematographiis exhibitae sunt. Area magna septem milia sedum habet.

Scaenarum dispositoibus Helveticis certamen proprium praebetur. Octo pelliculae ad finem hunc eliguntur. Auctores certaminum Soloduri (vulgo: Solothurn) et Novioduni (vulgo: Nyon), qui quotannis pelliculas Helveticas in certamine exhiberi iubent, rivalitatem timent et aemulationi interce-

dunt. Locarnenses autem pelliculis Helveticis in mundo cinematographico locum magnum tribuere volunt.

Hoc anno non solum prima aut secunda pellicula dispositorum iuvenum exhibentur, sed etiam pelliculae dispositorum aetatis firmatae, qui nondum nominis famam adepti sunt.

Barbara Maier



De pardis

Festivalibus cinematographicis, quae in oppido Locarnensi aguntur, praemia, quae 'pardi' nominantur, distribuuntur. Praemia maxime egregia Pardus aureus, Pardus argenteus, Pardus aeneus sunt. Pardusne verus vobis notus est? Nonnulla vobis de pardo narratura sum. Felis pardus et in Africa et in Asia meridiana inveniuntur. Modo tigris pellis pardi crebro diverso colore est. Saepe colorem flavum cum multis maculis nigris habet. Pardi Locarnenses illius generis sunt. Haud raro pardi colore nigro inveniuntur. Pardi imprimis in silvis vitam agunt. Etiam in regionibus desertis apparent. Facile in altum enituntur. Tigribus saevitia non cedunt. Species Locarnensis autem sane humana et bene accepta est.

Barbara Maier



De festivalibus cinematographicis agitur

Raimondo Rezzonico, ille vir, qui festivalibus praeerat, compluribus annis ante, Madonae del Sasso, quae est oppidi Locarnensis patrona, statuam monachi dedicavit. Optat enim, ut Madonna, cuius ecclesia supra oppidum in saxo sita est, festivalibus faveat et exhibitiones pellicularum in area magna (Piazza Grande) factae sub caelo sereno locum habere possint. Patrona oppidi autem non semper supplicis preces exaudire videtur.

Barbara Maier



Quid autem de pellicularum iudicibus?

Hoc anno in numero pellicularum iudicum haud paucae feminae erant. Quarum una, Rakhshan Bani-Etemad, Teherani (Teheran) in urbe nata est. In patria sua arti pellicularum studuit. Tum dispositioribus scaenarum, qui emissiones televisificas parabant, aderat. Eodem tempore Rakhshan ipsa nonnullas pelliculas breves fecit. Abhinc septem annos prima pellicula longa ab ea exhibitae est. Pellicula titulo Anglico 'Off the limits' (Latine: Ultra fines) saturam rei publicae administrationis est. Duae aliae pelliculae, quae paulo post exhibitae sunt, de classe operaria feminarum agunt. Anno proximo pellicula nominis

'The Blue-Veiled' (Latine: Velo caruleo indutus) Pardo aeneo affecta est.

Barbara Maier



De Pardo aureo 1996

Duo corpora appropinquant, amore attrahuntur. Sed rei non concedunt et se fugiunt. Incestum inter fratrem et sororem non fit. Est necessitudo occulta penitus insita, quae ambo coniungit. Pellicula, quae hoc anno in area magna Locarnensi pardum aureum accepit, titulum 'Nénette et Boni' habet. Est pellicula quinta scaenarum dispositoris nomine Claire Denis, quae scriptum scaenarium Jean-Paul Fargeau adiutore redegit. De solitudine duorum iuvenum agitur. Boniface ab amicis 'Boni' appellatus 19 annos natus est. In portu Massiliae urbis placentas vendit. Matre mortua Boni cum patre non iam consentit. Pater solum Boni sororem 15 annos natam diligere videtur. Boni in diem vivit, ingenti amore captus, qui eum maiore solitudine afficit. Somniis se dat

semper aliquid singularis exspectans. Tum Nénette e schola superiore evasa fratrem quaerit. Idem tugurium sordidum habitant. Est enim verum refugium a matre hereditate acceptum.

Pellicula illa apta est ad magnum linteum extentum permagnis imaginibus excellens, quae motus animi sensuumque insigniter reddunt.



Barbara Maier

Partes sororis ab Alice Hourii aguntur. Grégoire Colin partes fratris agit.



De Pardis futuris

Festivalibus cinematographicis, quae singulis annis mense Augusto in oppido nomine Locarno locum habent, etiam magnus numerus pellicularum brevium exhibentur. Hoc anno praeter pelliculas Helveticas opera Francogallica monstrantur. Res sane laudanda est. Pelliculis brevibus enim scaenarum dispositioribus occasio ad facultates ingenii exponendas offertur. Die tertio festivalium iam quattuor pelliculas breves Francogallicas vidi. Erant pelliculae ab ordinatoribus iuvenibus factae, opibus modicis velut locis sub divo sitis. Litora maris, cauponae, areae, stratae autocineticae, stationes ferroviariae saepe spectacula loca sunt. Permulti spectantes ordinatoribus aequales erant. Omnes

spectatores autem operibus iuvenum libenter plausum dederunt. E pelliculis una mihi praecipue placebat. Titulus eius 'Via curvata' (Francogallice: Virage) erat.

Res agitur de quodam iuvene nomine Remy, qui cursibus autocinetorum maxime delectatur. Sed quodam die vir aliqui, vita fessus, in viae curvamine in autocinetum se iacit et interficitur. Remy quamquam a culpa abesse videtur, tamen culpam in se vertit. Modum vivendi totum mutat. Taciturne se gerit. Neque mater neque amica eum ex angustiis animi educere possunt. Cottidie autocinetum suum, quod ei irae esse videtur, lavat. Vultne se culpa purgare? Postremo in speciem negotii novi petendi domum relinquit et autocineto ad eum locum vehitur, ubi vir mortem expetivit. In eodem curvamine, media in via stans, sibi mortem offert. Paulo post strepitus frenorum auditur.

Barbara Maier



De pelliculis Helveticis festivalibus cinematographicis in urbe Locarno monstratis

Ut in summario festivalium cinematographicorum Locarno in urbe Ticinensi actorum legistis, hoc anno primum certamen pellicularum a scaenarum dispositoribus Helveticis compositarum praebitum est. Hoc certamine pelliculae et documentariae et fabulares monstratae sunt.

Primum praemium pellicula documantaria a scaenarum dispositore Petro von Gunten composita accepit, cui titulus 'They Teach Us how to Be Happy' (Latine: Nos docent, quomodo aliquis beatus fiat). Petrus von Gunten quattuor familias Sudanienses, quae e patria fugerunt, ex adventu in Helvetia usque ad diiudicationem magistratuum Helveticorum de petitione asyli earum machina cinematographica comitatus est. Propter persecutionem religionis, contumeliam vimque allatam Sudaniam (Sudan) patriam fuga reliquerunt. Pellicula vexationes animi, quas profugi patiuntur, bene monstrat:

Interrogationes sine fine a magistratibus, angorem timoremque, dubia de fato futuro, grapheocraticam administrativam - breviter: Totum illud tempus plenum dubitationis et sollicitudinis vix ferendae, donec diiudicatio de asylo tandem fit.



Matthias Zschokke:

'Erhöhte Waldbrandgefahr'

In pellicula titulo 'Erhöhte Waldbrandgefahr' (Latine: Periculum incendii silvae auctum) a Matthia Zschokke composita cantator quidam carminum trivialium praevisiones prognosticas tempestatis in radiophono cantans recitat. De una femina et duobus viris res ad somnia pertinentes narrantur. Mirae imagines regionis videntur, sed quid re vera inter personas agatur, nonnumquam obscurum est.

Minimi natu inter scaenarum dispositores, Michael Steiner (*1969) et Pascal Walder (*1972), pellicula sua 'Nacht der Gaukler' (Latine: Nox praestigatorum) inscripta inspirationem a Kafka et Orwell accepisse videntur. Dominus Koska, homo probus, homicidii testis fit, facinora atrocia a domino Lubitsch, ministro rei iuridicae, in ministerio publico omnipotente committuntur. Non desunt insectationes ferocae, domuegressio interdicta, illecebrae saltatricis, terrorismus institutus, obscurae condiciones.

Scaenarum ordinatrix Ticinensis Bianca Conti Rossini pelliculam titulo 'Capitaine au long cours' (Latine: Capitaneus

in longo cursu) praebet. De fabularum scriptore narratur, cuius fabularum personae cum veris exemplis suis confunduntur, et ex contrario. Illi personae ipsi agentes vitam creatoris sui intrant et animum eius pro fato suo in libris flectere et regere conantur.

Pulchra pellicula a Nadia Fares, unica candidata certaminis internationalis particeps, composita est: 'Miel et cendres' (Latine: Mel et cineres). Illud opus commune Helvetico-Tunesiense praemium iudicum oecumenicorum accepit. Agitur de tribus mulieribus muslimicis Africae septentrionalis, quae in mundo, qui praecipue sub ditione virorum est, suis viribus propriis e partibus, quas illa societas eis attribuit, erumpere conantur. Nadia Fares oppressionem mulierum condicionibus culturalibus, politicis, religiosis effectam in conexibus inter mulieres et viros monstrat. Omnes personae magna subtilitate et intellegentia describuntur. Tituli ceterarum pellicularum Helveticarum illius certaminis sunt:

'Blue Mountain' (Latine: Mons caeruleus) a Thoma Tanner, 'Pessoa' ab Heinz Bütler, 'Markus Jura Suisse' (Latine: Marcus Jura Helvetia) ab Edgardo Hagens.

Daniel Weissmann



Nadia Fares:

'Miel et cendres'



De pelliculis nuper visis

Quisque felem suam quaerit

Chacun cherche son chat

Chloé, iuvenis mulier, solitaria Lutetiae vivit. Apud virum homosexualem in parvo domicilio habitat. Neque vicinos neque viros valde curans cottidie negotium suum agit. Felis nigra nomine 'Gris-Gris' ei est. Aliquando iter factura Chloé aliquem quaerit, qui ea absente felem curat. Postquam diutius frustra quasivit, tandem felem mulieri veteri, dominae Renée, cui iam nonnullae feles sunt, mandat.



Chloé (Garance Clavel)

Cum Chloé post unam hebdomadem revertitur, Gris-Gris e domicilio dominae Renée evanuit: per fenestram apertam fugisse videtur. Domina Renée tristissima omnes amicas suas, mulieres veteres illius vici, advocat ad felem quaerendam. Ipsa cum illis et cum Chloé per vias vici migrat incolas interrogans, num quis 'Gris-Gris' viderit. Vita puellae valde mutatur. Primum e solitudine expergiscitur et felem quaerens per vias vici vagatur et homines, tabernas, thermopolia, cauponas, cafea cognoscit. Omnes eam adiuvant, omnibus subito nota est - 'illa puella, quae felem suam quaerit'. Viri quoque animam Chloes, cuius

desiderium amoris diu obrutum subito oritur, commovere incipiunt. Amantem fidum et certum quidem Chloé nondum invenit, sed anima et oculis apertis per vias et vitam ire incipit - et postremo etiam 'Gris-Gris' iterum apparet.

Scaenarum ordinator: Cédric Klapisch (Francogallia, 1996).

Daniel Weissmann



Commentarium mortis annuntiatae

Crónica de una muerte anunciada



Haec pellicula secundum fabulam celeberrimi scriptoris Columbiani Gabriel García Márquez composita est.

Incola alicuius vici Latinoamerici de scelere narrat, quod 20 fere annos antea ibi commissum est. Bayardo San Román et Angela Vicario magnificas nuptias agunt. Sed nocte nuptiali novus maritus Angelam in domum parentum reducit, quod non iam virgo intacta est. Fratres gemini Angelae, Petrus (Pedro) et Paulus (Pablo) Vicario, sororem interrogando urgent et postulant, ut nomen amatoris sui prodat. Tandem Angela virum eisdem vici, Santiagum (Santiago) Nasar, incusat.

Sine mora fratres eadem nocte proficiscuntur cult-

rum secum ferentes ad honorem maculatum sororis ulciscendum. Quamquam eo die incolae vici a quarta hora in viis

versantur ad episcopum, qui vicum visitaturus est, salutandum et omnes fere sciunt, quid fratres Vicario in animo habeant, scelus accidit et Santiago Nasar ante domum suam a fratribus Angelae occiditur. Pauci id impedire velle videntur, et conatus Santiagum Nasar praemonendi variis de causis in irritum cadunt. Toto vico conscio scelus fatali necessitate fit. Casus accumulati, errores intermissionesque tragoediam Graecam commemorant: Santiago Nasar fatalem sortem effugere non potest.

Demonstratur societas, in qua honor et fama maxime valent. In causa de facinore acta fratres Vicario absolvuntur. Iudicium est: 'Homicidium casuale in defensione legitima honoris'. Homicidae officium suum exsecuti sunt, nemo eos prohibuit. Santiago Nasar punitus est (quamquam non constat eum re vera amatorem Angelae fuisse), fratres Vicario veros viros se praestiterunt, honor sororis restitutus est. Unica victima Bayardo San Román, qui omnia amisit, videtur.

Ad normas severas et morem simulatum conservandum totus vicus communis culpae homicidii particeps est. García Márquez illud nimium studium honoris et famae virorum (verbo Hispanico 'machismo' dictum) societatis, in qua mulieres quasi possessiones virorum ducuntur, monstrat.

Scaenarum ordinator: Francesco Rosi (Italia, 1987)

Daniel Weissmann



Narratio aestiva

Conte d'été


Iuvenis nomine Gaspard in oppidum Francogallicum 'Dinard' ad mare Atlanticum Aremonicae (vulgo: Bretagne) situm otii agendi causa venit. Ibi Lenam, amicam suam, quam nonnullis diebus post venturam esse putat, exspectat. Interea ambulando et cithara Hispanica canendo tempus agit. In litore Margot, studiosam ethnologiae, cognovit. Ambulationibus extentis per regiones maritimas migrantes longis sermonibus multa et varia de vita et mundo loquuntur et paululum ludum blandum agunt. Amatio nasci possit, sed non progrediuntur - res ambigua manet.

Tum Solène, alia puella, apparet. Sine ambagibus ad Gaspard(um) accedit animum eius captura et eum amatorem suam aestivum facit. Gaspard, qui se feminis non placere neque fortunam amoris propitiam sibi esse putat, gavisus occasionem capit. Cum Solène amationem init, nonnullos dies cum ea apud parentes eius agit, carmen citharae Hispanicae puellae dedicatum componit. Sed Solène consuetudines certas et firmas habet: In primo occurso nondum cum viro concumbit neque vult eum alias feminas praeter se habere. A Gaspard(o) haesitante petit, ut decernat: Aut eam aut aliam eligat.

Gaspard autem incertus inter duas puellas ambit. Tandem amica Lena quoque advenit, et animi perturbatio iuvenis cunctantis et haesitantis completa est. Suspensus inter tres puellas ambit. Tribus puellis eandem excursionem eodem die promisit et nescit, quid sit faciendum. Ex consilii inopia amicus eum solvit: Telephonat et Gaspard(o) occasionem citharam Hispanicam emendi offert. Propterea Gaspard(um) ad citharam inspiciendam Lutetiam redire oportet. Qui profiscitur et ita implicationes cum tribus puellis effugit.

Scaenarum ordinator: Eric Rohmer (Francogallia, 1996)

Daniel Weissmann



Gaspard (Melvil Poupaud)

Margot (Amanda Langlet)



Libellus sub cervicali conditus

The Pillow Book

Calligraphus Iaponicus in ore filiae suae nomine Nagiko quoque anno die natali omina natalia penicillo scribens pingit. Simul etiam puellae ipsae penicillo utenti scribere licet. Vota prospera cosmologica eas litteras Iaponicas comitantur: "Cum Deus homines creavit, oculos, labra sexusque pinxit et cuique nomen inscripsit, ne umquam eius oblivisceretur."



Nagiko (Vivian Wu)

Ita parvus libellus de vita in aula Iaponica illius aetatis et opus arte praecipua compositum poesis Iaponicae factum est.

Ea consuetudo oris pingendi et lectionis amitae in anima Nagiko puellae adeo infixata est, ut iuvenis femina voluptate

Tum amita puellae parvae e 'Libello sub cervicali condito' recitat. Illum libellum, titulo Iaponico 'Makura no soshi', domina aulica nomine Sei Shōnagon aetate 'Heian' (annis 898-1186) composuit. Imperatrix Sadako dominae aulicae fasciculum chartarum optima bonitatis donavit, et illa eis usa est ad libellum componendum, in quo omnia scripsit, quae homines cervicali tantum mandare solent: Cogitationes, affectiones et sensus animi, verba poetarum, variae res, quae ei acciderant, amores.

amoris tantum frui potest, si litterae calligraphae in corpore eius penicillo inscribuntur. Et ipsa 'libellum sub cervicali conditum' scribere incipit.

18 annos nata Nagiko viro nubit, qui artem et desideria eius nullo modo intellegit. Vel libellum eius delet.

Hunc virum relinquens Nagiko Honcongum (vulgo: Hong Kong) fugit. Ibi ab amatoribus suis petit, ut cutem eius inscribant. Sed amatorem, qui et bene corpus eius inscribere et cupidinem explere scit, non invenit. Itaque ipsa virorum corpora inscribere incipit.



Nagiko et
'Libellus
sub cervi-
cali con-
ditus'

Ex consociatione et cooperatione cum interprete iuvene Hieronymo (Anglice: Jerome), cuius in corpore carmina amatoria inscribit, amor ardens nascitur, qui usque ad mortem Hieronymi permanet.

Nagiko corpora XIII virorum - 'XIII libelli' - artificiis Iaponicae artis corpora pingendi inscribit. Viri picti ad librorum redemptorem (Verleger) eunt, qui eo modo carmina offerendi maxime delectatus ea transcribenda curat.

Opera Nagiko(nis) simul et artificia in corpore, quae oculis cernuntur ac visu delectant, et poesis et ultio sunt.

Scaenarum ordinator: Peter Greenaway (Britannia, 1996)



Daniel Weissmann

Paulus Villaggio, alias Fantozzi

Paulus Villaggio, Italus histrio comicus praestantissimus, complures variasque in tam longo curriculo partes quidem egit, at tam feliciter ac veri similiter Hugonem Fantozzi repraesentavit, ut cum ficta persona paulatim scaenicus ipse artifex confunderetur.

De humillimo agitur rationario sibi displicente, mediocri illa, quam degit, vita minime contento, viribus facultatibusque suis haud immerito diffiso, quem universi collegae ac superiores irrisui ludibrioque habeant. Iniucunda ille-pida atque ineleganti femina in matrimonium ducta, ridicula inefficacique contempti amatorculi instantia quandam assec-tatur assidue rationariam idem, atque ipse, munus ibidem exsequentem, quae, etiamsi vix animo fingi tantum possit et concipi portentum, vel legitima computatoris coniuge aspectu foedior sit habenda: omnes, ut par est, Hugonis conatus ac nisus inexorabiliter irriti existunt.

Tam horribili matre horribilior, ut facile conici poterat, filia nascitur, cuius praesentiae genitorem ipsum pudeat; adulta vixdum virgo facta, nullum nimirum Maria Angela procum invenit, simio quodam excepto, cuius, villosum praeter bracchium, alia corporis pars umquam in pelliculis ostendatur nulla; conveniens monstruosi istius coniugii fructus neptacula tandem paritur, quam pro sua agnoscere misellus avus verecundetur.

Anno millesimo nongentesimo septuagesimo quinto prima edita vulgataque est pellicula, ad hoc argumentum pertinens, cuius moderator Lucianus Salce fuit; cum praeter omnem spem expectationemque spectatores valde delectati in theatra cinematographica frequentissimi diu convenire perrexissent, longa taeniolarum series, aliis operam dantibus moderatoribus, continuata est, cuius e.g. duo saltem tituli commemorentur: 'Fantozzi adversus omnes luctatur' et 'Fantozzi alias denuo patitur contumelias'; nostra autem sententia praecipua ac singulari laude digna est ducenda pellicula illa, quam Italice 'Superfantozzi' auctores inscripserunt, Latine magis proprie ac significanter 'Fantozzi per saecula redivivus' vertere possumus.

Velocissima quadam aetatum transvectione ab humani generis origine prima usque ad alterum inter omnes gentes bellum

saeculo nostro perniciosissime exortum Hugo Fantozzi agens, vel potius patiens, probabilissima vi comica inducitur; ut aliqua saltem exempla afferamus, Iesu Christi temporibus infelix illud fortunae ludibrium in Lazari nepotem convertitur, qui, de exoptato avarioris avunculi interitu certior factus, stramenticiae ilico casae suae ignem subdit, copiosa videlicet, quibus est fruiturus, hereditaria bona secum animo praegustans; haud difficulter imaginamur quam amariter misellus decipiatur, capillatum prophetam conspiciens frigidum inersque cadaver ad vitam revocantem.

Media porro aetate, id est tertio decimo fere ineunte saeculo, pauperis Angliae incolae personam Fantozzi induit, qui gratum ac necopinatum accipit beneficium ab illo Robin Hood, cuius inter omnes constat morem fuisse consuetudinemque, ut opes ac pecuniam, de locupletium aedibus ablatas, miserimis homullis dispensaret; ubi vero hisce verbis "Dives tandem factus sum!" laetitiam, qua est affectus, elata Hugo voce exprimit, ad pristinam dicto celerius inopiam redigitur, cum idem Robin ille e vestigio apparuerit opulentum hominem compilaturus.

Anno dein millesimo octingentesimo septuagesimo p.Chr.n. Fantozzi, bene nummatus civis Romanus factus, domus illius dedicationi vacans inducitur, quam nummis gradatim cumulatis modo emit. Inopportune autem accidit quod aedes illae in vico sitae sunt, qui a Porta Pia nomen traxit; quocirca in ipso eius aedificii muro, tormentis quasso, ruina aperitur, qua plumati milites mundanum Pontificis imperium eversuri in urbem aeternam irruunt.

Haec, quae capitulatim protulimus, satis superque fore exempla persuasissimum habemus ad lepidas versatilesque Pauli Villaggio argutias convenienter illustrandas; de saturae genere agitur quod - audaci sit comparationi venia! - illis Iuvenalis versibus minime cedat tristem clientium, parasitorum ac subiectorum vitam ignominia notantibus.

Orestes Carbonero



Thomas Alva Edison 150 annos natus

Die 11^o mensis Februarii anno 1847^o Thomas Alva Edison (1847-1931), ille celeberrimus inventor multarum rerum hominibus valde utilium, in oppido nomine 'Milan' civitatis Ohii (Ohio) in America Septentrionalis natus est. Inter alia primum phonographum, ex quo postea grammophonum ortum est, ampullam electricam, machinam cinematographicam, primum pellicularum projectorium 'vitascopum' dictum invenit. Sine illis rebus inventis nunc 'nuntios e mundo pelliculae' scribere non possemus. Edison ipse quidem machinae cinematographicae nullum sucessum fore praedixisse fertur, quod animo imaginari non potuit homines illas 'imagines vivas' pelliculas dictas visuros esse. Aetas nostra docet: Errare humanum est....

Daniel Weissmann



Thomas Alva Edison, taeniolam cinematographi-
cam spectans



Aenigma

QVO PRAEMIUM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM
ET RVMMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA
IDIBVS MARTIIS EST! SOLVTIONES IN UNO LIBELLORUM PROXIMORUM
DEMONSTRABIMVS.

PRAEMIA SVNT: primum praemium LIBER
secundum et tertium praemium LIBELLVS

Ad libram

- 1 Apud veteres Graecos Romanosque
ea admirari possumus.
- 9 vadere
- 10 coniunctio
- 11 aut .. aut consilio adiuuare
- 12 simili modo agere
- 14 pronomen demonstrativum (fem.)
- 15 coniunctio
- 16 dilige
- 18 eadem res
- 21 arma ..-pere
- 23 sociis
- 27 ante vocativum ponitur
- 28 gloria vel fama (abl.)
- 29 remeat
- 32 cognomen gentis Marciae
- 33 II
- 34 intret
- 36 999
- 37 pronomen possessivum (dat./abl.)
- 38 vade!
- 39 praepositio
- 40 imperavit

Ad perpendiculum

- 1 commiseratio
- 2 corporis pars (dat.)
- 3 nullum
- 5 haud paucae res
- 6 sane quidem
- 7 III
- 8 regio et plumbi uberrima
- 13 vadis
- 17 folia ex cadunt
- 19 dono
- 20 da m... panem!
- 22 ex auro facta
- 24 totus (gen.)
- 25 praepositio
- 26 praenomen Romanum (gen.)
- 30 is (acc.)
- 31 praebeo
- 35 ego (pl.)
- 37 pronomen personale

1	2	3		5	6		7	8
9				10			11	
12			13					
		14					15	
				16		17		
18	19		20			21	22	
23				24	25			26
27			28					
29	30	31				32		
33				34	35			
36			37					38
39		40						

Barbara Maier

De bello 'civili' (quod dicitur) Americano pelliculis cinematographicis recepto

Inter ea, quae in historia Americana Septentrionali acta sunt, nil maioris momenti erat quam illud bellum internum, quod 'Bellum Civile' sive 'Bellum Secessionis' sive 'Bellum inter Civitates Gestum' vocatur. Sic non mirandum est, quod etiam, industriae fabriles cinematographicae hoc bellum abundanter curaverunt (et interdum etiam curant). Acrifoliis (Anglice: Hollywood) multae pelliculae cinematographicae factae sunt, quae bellum secessionis sive eius belli partes vel particulas tractant.

Dolendum est, quod earum pellicularum haud paucae res aliter spectant et monstrant ac re vera actae sunt.

Paucas nunc eius modi pelliculas parvis verbis adumbrabo:

Anno iam 1915° vir nomine Griffith pelliculam albam-nigram composuit, quae Anglice 'Birth of a Nation' (Latine: Quo modo natio nata sit) inscribitur. Qua narratur, quo modo Civitates Septentrionales non servos liberandi causa, sed causis oeconomicis impulsae Civitatibus Meridianis bellum imposuerint atque ius humanum et divinum violantes homines meridianos privaverint. Griffith, nisi fallor, primus erat, qui honorem meridianorum restituere conatus est. Hoc inceptum valde laudabile suscipiens forsitan oblitus est, quod etiam in meridie errores commissi sunt.

Etiam temporibus pellicularum mutarum, quae dicuntur, pellicula nomine 'Generalis' facta est. 'Generalis' autem non officarius est, sed machina tractoria vaporaria. Cuius machinarii partes Buster ille Keaton agit, vir numquam ridens.

Bello incepto Buster, sicut mos est viri boni patriam amantis, etiam miles fieri cupit. Functionarii autem nolunt, quod machinariis quoque indigent, non militibus tantum. Buster(i) autem amica Buster(um) ignavum rata eum repudiat dicens se non iam amicam eius esse velle, donec miles factus esset. Quid miser Buster nunc faciat?

Eo autem tempore nonnulli milites 'Yanci' stationem ferroviariam invadunt et tramem Buster(i) furto subducunt. Buster(i) amica in tramine subducto est! Hoc Buster aegre

ferens subito aliam machinam vectoriam vaporariam conscendit et Yancos in septentrionem fugientes persequitur. Multis periculis perpressus denique non modo amicam et tramem servat, sed etiam copias confoederatas monere potest, ut Yancis invadentibus resistent. Sic non modo miles fit, sed locumtenens! Scilicet et amicam in matrimonium ducit!

Alia pellicula etiam ad risum pertinet: 'De exploratore magistro' (Anglice: The Spy) inscribitur. Iuvenis quidam in deversorio septentrionali laborans explorator in meridiem mittitur et amore virginis meridianae capitur.

In pellicula 'Senandoa' (Anglice: Shenandoah) de agricola quodam narratur, qui in villa rustica Virginiensi vivens bellum non suam esse rem aestimat. Sed bellum cottidie plus domui appropinquans effugere non potest. Milites Yanci filium minimum natu confoederatum esse arbitrantes captivum secum ducunt. Pater filium quaerens duos alios filios amittit: Alter a milite meridiano per errorem sclopeti ictu necatur, alter domi manens a latronibus interficitur.

Pellicula, quae 'De temptatione allicienti' vocatur, etiam de hominibus pacem quam bellum malentibus narrat. Tremuli (Theodisce: Quäker) in Indiana viventes bellum omnino repudiant. Ne periculum quidem instans - milites enim 'rebelles', id est meridiani prope vagantes visi sunt - eis persuadere potest, ut arma tollant et patriam defendant. Denique 'rebelles' apparent et vicum pacificum invadunt. Mulieris anserem specialiter pacificae raptare student. Tunc illa mulier proposita bona oblita scopis milites anserem captantes ita tractat, ut anserem sinant et equis conscensis abeant.

Bellum confectum est. Yanci meridiem inundant. Incolae meridiani, qui iam bello crudeli multos et multa amiserunt, nunc regimine militari et vectigalibus iniustis vexantur. Multi coguntur, ut domum vendant. Non ita maior quidam: In pellicula 'De invictis' domum suam comburere quam vendere mavult. Tunc una cum familia cumque militibus aliquot in Mexicum emigrat, ut ibi Mexicanis serviat et aliquando Mexicanis adiuvantibus in patriam revertatur et Civitates Confoederatas restituat. Cladem non agnoscit.

In Mexico autem primum a latronibus, deinde a rebellibus Benedicto Juarez duce pugnantibus molestatur. Nisi officarius septentrionalis - inimicus pristinus igitur! - meridianis adesset, certe perirent. Qui denique in patriam revertuntur. Qua pellicula monstretur praestare Americanos pacifice inter se vivere quam rixis internis vexari.

Etiam in Mexico vivit Alvarez Kelly, vir Hiberno-Mexicanus, qui boves colit et vendit. Exercitus septentrionalis ab eo poposcit, ut sibi gregem boum venderet. Sic boves in Virginiam ducit, quos maiori cuidam tradat. Sed milites meridiani prope latentes boves furtu subducunt et Alvarem Kelly Ricmondiam trahunt. Ab Alvare postulant, ut se doceat bubulcos fieri et bovinum gregem Ricmondiam agitare. Ibi enim homines esuriunt.

Alvarez Kelly neque septentrionales neque meridianos amat, sed in carcere Ricmondiano captivatus denique consentit. Boves autem Ricmondiam agitare valde periculosum est, cum Yanci omnes vias optime custodiant. Sed tandem inceptum contingit. Inter Alvarem Kelly et meridianorum ducem amicitia quaedam crevit.

In pellicula 'De iussu ultimo' colonellus quidam septentrionalis in meridiem mittitur, ut ferrivias meridianas destruat. Cum in villa privata pernoctetur cum militibus suis, consilia eius audiuntur a muliere perpulchra meridiana. Quid ei restat aliud ac eam mulierem secum ducere, ne quid prodat copiis meridianis. Inter mulierem et colonellum amicitia, denique amor crescit.

Multae aliae pelliculae etiam Bellum Civile tractant vel tangunt. Imprimis eis pelliculis, quae 'occidentales' (Theodisce/Anglice: Western) vocantur, saepe de bello mentio fit. In pellicula, cui nomen 'She wore a yellow ribbon' (Latine: Ea anaboladium flavum gessit), inter milites disputatur, utrum recte agitaverint Vallem Senandoae Virginiensem plane vastantes an non.

Tempore novissimo etiam ab hominibus coloratis pelliculae bellum 'civile' tractantes componuntur. Quarum una est 'Queen' (Latine: Regina), qua sors puellae a patre albo et matre nigra oriundae narratur. Dolendum est, quod eius dispositio (Theodisce: Regisseur) homines meridianos tantum

servicutores et rassisticos, qui dicuntur, monstrat. Tali-ter res se non habebant.

Certe nunc exclamabitis, cari lectores: "Ubi, hercle, est pellicula huius thematis notissima? Ubi est 'Gone with the wind' (Latino: Vento amotum)?" Etsi illa pellicula mihi bene placet, de ea nihil scripsi, quia vobis omnibus satis notam esse eam pro certo habeo.

Si quis plus de Bello inter Civitates Gesto Americano deque pelliculis id tractantibus scire voluerit, scribat quaeso ad me. Inscriptio cursualis mea est: Martinus Meier, Etzelwerkstrasse 5, CH-8852 Altendorf. Gaudeo in antecessum epistulis vestris!

Martin Meier



SOLUTIONES

Ecce solutio aenigmatis libelli 4/96.

1	S	A	R	A	H
2	A	R	O	M	A
3	R	O	S	A	M
4	A	M	A	R	A
5	H	A	M	A	S

1. Nomen mulierum
2. Odor bonus vel condimentum
3. Flos quidam (Acc.)
4. Non dulcia
5. Instrumenta ad incendia exstinguenda (Acc. pl.)

Daniel Weissmann



De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium: secundum praemium: tertium praemium:
 Fritz Wille Barbara Reber Béatrice Nussberger
 Tannenweg 11 Bergstr. 10 Ch.des Blanchettes 26
 3073 Gümligen 4500 Solothurn 1093 La Conversion

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur!
 Praemia eis mox mittentur!

Rumoris Varii domus editoria

1. lumina nocturna caeli (Abl. pl.)
2. mulier periculosa, quae cantans nautas perdebat
3. numerus quidam (distributivum, f. pl.)
4. fila resolvunt
5. vacua vel vana
6. pars corporis bestiarum (Acc. pl.)

Daniel Weissmann

1	A	S	T	R	I	S
2	S	I	R	E	N	A
3	T	R	I	N	A	E
4	R	E	N	E	N	T
5	I	N	A	N	I	A
6	S	A	E	T	A	S

Nugae Neronianae

Qui cibus iucundissimus existimandus est?

Quales ex dapibus requiris ipse
 malim suppeditentur; haud tacebo:
 boletos (1) soleo labris gulosis
 delibare, memor prioris usus;
 me debere fatebor his amicis
 non tantum imperium, sed et nocendi
 cuivis vim facilem rebellioni.

- 1) Hic traditur fuisse Neroni cibus gratissimus, quo nemo plane est quin sciat Claudium ab Agrippina per Locustam nefarie occisum esse. Ut par est, et hoc et sequens carmen, phalaeiciis hendecasyllabis compositum, Nero ipse pepigisse fingitur, quem fama est adeo poeseos studiosum fuisse, ut versus facere non erubuerit. Quanti vero Nero boletos fecerit, apud Suetonium legitur (Nero XXXVIII).

De incohibili materni coitus appetentia

Uxori impositae quis est fidelis?
 Quis durum toleret silens capistrum?
 Cui prodest cohibere mentularum
 impulsus varios et appetitus?
 Cur, pol, ipse veter pudenda matris,
 ad quae terribilis trahit libido,
 permulcere, pilis nigris iocando?
 Exspectem rigidum cadaver (2), ut mi
 tandem morigerer negante nullo?

- 2) Licet pluries et plurifariam et in nimis multos homines peccaverit Nero, hoc est ei praecipuae vituperationi culpaeque vertendum, quod matris iussu suo necatae cadaver diutius contemplari sustinuit, singulas feminei corporis haudum deflorescentis dotes aestimaturus, ut apud

Suetonium legitur (Nero XXXIV); cfr. autem et XXVIII, ubi Nero cum matre viva concumbere voluisse, si per ipsum stetisset, claris verbis dicitur.

Orestes Carbonero



De pulte a militibus valde amata

In bellis, ut iam vidimus, haud raro etiam accidunt, quae homines ad iocos faciendos excitant. Quisquis vestrum, cari lectores, iam stipendia meruit, bene scit in militia nutrimenta persaepe thema esse, de quo milites semper semperque disputare possunt.

In Bello inter Civitates Gesto Americano milites male nutriebantur. Imprimis illi, qui pro Civitatibus Confoederatis, id est pro Civitatibus Meridianis pugnabant, saepe fame premebantur. Naves enim longae septentrionales oras maritimas meridianas tam stricte observabant et custodiebant, ut nihil fere exportari vel importari posset. Sic accidit, ut milites meridiani cottidie fere idem comederent, nisi forte quadam victoria adducti agmen septentrionale novissimum spoliaverant.

Cum apud septentrionales, apud 'Yancos' ergo, fabae plerumque apportarentur, meridiani 'goober peas' comedebant, id est pultem quandam pisis confectam. Carmen, quod infra invenire poteritis, quantopere milites meridiani talem pultem 'dilexerint', narrat.

Versio Anglica

1. Sittin' by the roadside
on a summer's day,
chattin' with my mess-mates
passin' time away,
lyin' in the shadow
underneath the trees,
goodness how delicious,
eatin' gobber peas!

Chorus:

Peas, peas, peas, peas,
eatin' goober peas,
goodness how delicious,
eatin' goober peas!

2. When a horseman passes
the soldiers have a rule,
to cry out at their loudest:
"Mister, here's your mule!"
But another pleasure
enchantinger than these
is wearin' out your grinders,
eating goober peas.

Chorus

3. Just before the battle
the General hears a row,
he says: "The Yaks are comin',
I hear their rifles now!"
He turns around in wonder
and what do you think he sees?
The Georgia militia
eatin' goober peas!

Chorus

4. I think my song has lasted
almost long enough,
the subject's interesting,
but rhymes are mighty rough,
I wish this war was over
when free from rags and fleas,
we'll kiss our wives and sweethearts
and gobble goober peas.

Chorus

Versio Latina

1. Me quieti dando
paulum somnio,
loquor cum collegis,

nihil facio.
Iaceo in umbra
fagum speciens
et deliciosam
pulter comedens!

Verba repetenda:

Puls, puls, puls, puls,
praebeatur puls!
Quam deliciosa
nostra cara puls!

2. Eques praetervectus
castra advenit.
E quo quaerunt omnes,
ubi mulus sit *.
Hic est quidem ludus
me alliciens,
ludere sed malo
pulter comedens.

Verba repetenda

3. Brevi ante pugnam
dux hortatur nos:
"Yanci sunt venturi,
praeparate vos!"
Milites quid ille
videt intuens?
Suam quisque gaudet
pulter comedens!

Verba repetenda

4. Carmen nunc finitur,
satis longum est.
Barbari sunt versus,
res sed interest.
Nollem mea bellum
cogitaret mens!
Puellam oscularer
pulter comedens.

Verba repetenda

*Inter peditatum et equitatum rixa et aemulatio perpetua erat. Equites pedites paulum contemnebant, pedites autem equites ludibrio habebant. Sic quotienscumque eques castra peditum intrabat, clamore magno et verbis contemnentibus "Ubi mulus tuus est?" salutabatur. Equites enim equis suis valde gloriabantur et aegerrime modo ferebant, cum quis equos 'mulos' vocaret.

Martin Meier



Sententiae Hispanicae

Ecce sententiae poetarum, scriptorum, philosophorum, artificum Hispanicorum in Latinum versae!

La fantasía, aislada de la razón, sólo produce monstruos imposibles. Unida a ella, en cambio, es la madre del arte y fuente de sus deseos.

Francisco de Goya, pictor (1746–1828)

Separata a ratione phantasia nihil nisi monstra impossibilia producit. Coniuncta autem cum illa mater artis et fons desideriorum eius est.

*

El amor se oculta como tímido y recatado; pero no se esconde como criminal cuando es inocente y honrado.

Cecilia Böhl de Faber (1796–1877)
(Pseudonymum: Fernán Caballero)

Amor verecundus et modestus occultatur, sed non velut scelestus absconditur, si innocens et honestus est.

*

La buena didáctica es aquella que deja que el pensamiento del otro no se interrumpe y que le permite, casi sin notarlo, ir tomando buena dirección.

Enrique Tierno Galván, politicus (1917-1986)

Bona ars docendi illa est, quae cogitationes alterius interrumpi non sinit et quae ei paene non sentienti bonam viam inire permittit.

*

Los libros son, entre mis consejos, los que más me agradan, porque ni el temor ni la ambición les impiden decirme lo que debo hacer.

Alfonso II, rex Hispaniae (1157-1196)

Inter consiliarios meos libri maxime mihi placent, quod neque timore neque ambitione impediuntur, quominus mihi dicant, quae facere debeam.

No me interesa la meta, sino el camino.

Esperanza Roy, actrix (*1938)

Non finis, sed iter ad finem mea interest.

*

Sé justo antes de ser generoso,
Sé humano antes de ser justo!

Cecilia Böhl de Faber, (1796-1877)
(Pseudonymum: Fernán Caballero)

Es potius iustus quam generosus et largus,
es potius humanus quam iustus!

In Latinum vertit Daniel Weissmann

De libris antiquis conquisitis

Apud homines doctos, qui nomine 'Umanisti' in Italia appellabantur, homo pulchritudine corporis, gaudiis doloribusque sensuum, maiestate rationis ornatus plurimum valebat. Vir ingeniosus litteris artibusque Graecorum Romanorumque propositus optimus iudicabatur.

Iam saeculo decimo tertio p. Chr. n. multi scriptores Latini et Graeci noti erant. Saeculum illud autem poesiam Graecam omnino neglegebat. Multi thesauri librorum, qui hodie apud nos maximo in honore sunt, non curati in bibliothecis monasteriorum iacebant. Ita factum est, ut Poggio Bracciolini in monasterio Sancti Galli 'Institutiones' Quintiliani oratoris inveniret. Collucci Salutati epistulas Ciceronis 'ad familiares' scriptas Vercellis invenit. Libri Taciti, illius scriptoris rerum, velut 'Germania', 'Agricola', 'Dialogi in Germania' inventi sunt. Urbe Constantinopolis a barbaris expugnata permulta opera in bibliothecis urbanis conservata amissa sunt. Permulta tamen miro modo servata in Italiam pervenerunt. Etiam hodie in Italia collectiones maximae operum Graecorum ostenduntur. Studia renovata saepenumero usus linguae Graecae postulabant. Itaque initio in Italia, deinde in Germania, Gallia, Britannia, Ungaria et in aliis Europae terris magistri linguae Graecae petebantur. Cosimo de Medici Florentiae Academiam ad philosophiam Platoniam discendam condidit. Disputatio Scholastica illo tempore e scholis Europae expulsa est.

Magismagisque professores, scriptores, discipuli lingua Latina utebantur. Verba religionis Christianae cum verbis religionis Romanorum veterum aequabantur. Papa pontifex maximus nominatus, Deus Iuppiter appellatus est. Et Sancti 'Divi' nominati sunt. Lingua Italica, quam viri docti linguam Latinam rusticam et corruptam iudicabant, illo tempore despiciebatur et contemnebatur.

Barabara Maier



Xenocrates ad Phrynen (1)

Marmoreae statuae decus exsuperare videris;
nil natura tibi provida par genuit;
incedis Veneris terrenae dulcis imago:
quid mirum si in te depereunt iuvenes?
Hoc potius stupeant pueri pusaeque necesse est:
exerces vim istam nil minus in vetulos!
Ex me ipso documenta queas certissima veri
sumere: prodigio canities refluit,
pristinus atque ardor vegetis redit artubus hisce;
erigitur muto flaccidior subito,
nil est quod pro te fugiam renuamve pericli:
Herculis instar enim monstra tremenda feram!

- 1) Ut apud Valerium Maximum legitur (IV, 3, exter. 3), Phryne, famosa meretrix illa, patienter in epulis expectavit, dum Xenocrates, philosophus haud obscurus, paucillum relaxatus facilius praeda offerretur. Capite in sinu eius, vino onerati, molliter reclinato, peregrino aromate delibuta, imis inflammata medullis, ne unum quidem palpamentum ex homine illo, quam aenea statua rigidior, elicere potuit, quamvis ex unoquoque molliculae cutis foramine illecebrosam exhalaret luxuriam. Quanti vero istiusmodi simulata lentitudo philosopho constiterit, hi sint argumento versiculi, quos convivio confecto, ut sensa sua tandem aperiret, Xenocratem ad Phrynen per famulum misisse finximus.

Orestes Carbonero

Hast du heute schon gelebt?

Ein 85jähriger Mann, der wusste, dass er bald sterben würde, sagte:

"Wenn ich noch einmal zu leben hätte, dann würde ich mehr Fehler machen; ich würde versuchen, nicht so schrecklich perfekt sein zu wollen;
dann würde ich mich mehr entspannen

und vieles nicht mehr so ernst nehmen;
dann wäre ich ausgelassener und verrückter;
ich würde mir nicht mehr so viele Sorgen machen
um mein Ansehen;
dann würde ich mehr reisen, mehr Berge besteigen,
mehr Flüsse durchschwimmen und mehr
Sonnenuntergänge beobachten;
dann würde ich Eiscreme essen;
dann hätte ich mehr wirkliche Schwierigkeiten
als nur eingebildete;
dann würde ich mehr Blumen riechen, mehr Kinder umarmen
und mehr Menschen sagen, dass ich sie liebe.
Wenn ich noch einmal zu leben hätte -
aber ich habe es nicht."

HODIENE IAM VIXISTI?

SENEX LXXXV ANNOS NATVS MORTEM IMMINENTEM SENTIENS DIXIT:
"SI ITERVM VIVERE POSSEM, SAEPIVS ERRARE AVDEREM;
NOLLEM HOMO OMNINO PERFECTVM ESSE;
SAEPIVS OTIO FRVERER
NEQVE OMNIA ACCVRATISSIME CVRARE STVDEREM;
MENTE HILARIORE, INTERDVM INSANA, VIVEREM;
NEC AVCTORITATEM MEAM SEMPER INTEGRAM SERVARE CVPEREM;
SAEPIVS ITINERA FACEREM, SAEPIVS MONTES ASCENDEREM,
SAEPIVS FLVMINA TRANATAREM,
SAEPIVS SOLIS OCCASVS OBSERVAREM;
DVLICIA GELATA EDEREM;
PLVRES VERAEE DIFFICVLTATES MIHI ESSENT QVAM
VANAE ET ANIMO FICTAE;
SAEPIVS ODORA DVLICIA ET VARIA FLORVM OLFACEREM;
SAEPIVS PVELLAS ET PVEROS COMPLECTERER ET
SAEPIVS HOMINIBVS VBICVMQVE TERRARVM VIVENTIBVS
ME EOS AMARE DICEREM.
HAEC OMNIA FACEREM, SI ITERVM VIVERE POSSEM -
SED ID FIERI NON POTEST NEC MIHI LICET."

In Latinum vertit Udalricus Aeschlimann

Seminaria «*Latinitatis vivae*» *Helveticum Morsacense*

63. Morsaci [*Morschach*] in Helvetiā, qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum «Quattuor Pagorum» situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebetur.

27.7.-2.8.1997

Sunt autem seminaria nostra «*Latinitatis vivae*» prima huius generis, quae inde ab anno 1973° intra Germaniam et extra instituebantur.

Interea vero alibi quoque complura seminaria quaedam offeruntur, ubi praeter alia non paucae acroases qualitatis variae fiunt. Sed in nostris seminariis participes singillatim inducuntur, ut *Latine loquantur*, id quod in scholis vel alibi vix fit. Sententiae autem et locutiones necesse est sint *vere Latinae*. Itaque etiam neologismi, id est verba novata, sint coloris vere Latini, ut et pronuntiatius vere Latinus proponitur et exercetur. Harum rerum problemata suscipiuntur solvenda, cum necessarium sit, ut etiam de condicionibus rebusque temporis nostri bene convenienterque loquamur. Maximi tamen momenti est ipse *usus linguae Latinae* iugiter indesinenterque exercendus.

Morsacense seminarium Helveticum qui participaturi sunt, mittant epistulas chartulasque interrogatorias nominaque dent definitive, si tardissime duobus mensibus ante initium, ad

Societatem Latinam
Universität - FR 6.3
Postfach 151150
D - 66041 Saarbrücken

anno 1997° futura *et Belgicum Geldoniense*

64. Geldoniense in Belgica, quod oppidum Brabantiae Vallonicae Geldonia (*Flandrice* Geldenaken, *Francogallice* Jodoigne) abest ab Vavria 20 chiliometris et a Bruxellis ad orientem versus 50 fere chiliometris. Ibi est domus multorum conclavium, quae sunt singulorum lectorum, cui aedificio peramplo (cum viridario vasto) nomen est «Château des Cailloux». Ibi seminarium fiet, cum Helencini propter structuras mutandas seminaria fieri non iam possint.

17.8.-24.8.1997

Themata autem, quae in seminariis tractantur, sunt et hilaria et seria, et cottidiana et scientifica, et historica et hodierna.

Denique moderator horum seminariorum erit *Dr P. C. Eichenseer*, qui iam ab anno 1973° talia seminaria suscepit prosperrime moderanda, quippe qui esset *Latinitatis omnium aetatum* vere peritus. Eius cooperatrix, *D.rix Sigrides Albert*, iam ex compluribus annis eos imprimis, qui primum adsunt, sed etiam alios, delectabiliter diligenterque in consuetudinem *Latine loquendi* inducit.

Denique pro ipsa *institutione unius septimanae* 170 marcae Germanicae solvendae sunt, quae pecuniae summa mittatur ad hanc sedem nummariam (pecunia pro pernottatione et victu in deversorio solvenda est):

VOX LATINA
18353-661
Postbank Saarbrücken
BLZ 590 100 66 (BR Deutschland)

Geldoniense seminarium Belgicum qui volunt participare ratione epistulari vel telephonica adeant satis mature D.rem Gaium Licoppe Bruxellensem:

M. le Docteur Guy Licoppe
Avenue de Tervueren, 76
B - 1040 Bruxelles

SOCIETAS LATINA

LATINE LOQUI - ROMANE COQUERE

LATINITATEM INTER NATIONES

*Nona Septimana
Latina Amoeneburgensis*

moderatores: Wolfram Bohnhammel, Thomas Gölzhäuser, Mechtild Hofmann, Vanessa Kayling,
Klaus Sallmann

quando?: a die 27^o mensis Iulii usque ad diem 2^{um} mensis Augusti anno 1997^o

ubi?: Bildungszentrum Johannes-Haus et gymnasium Amoeneburgense, D-35287 Amöneburg
(Amoeneburgum apud Marburgum)

pretium: 330.- DM pro victu et habitatione in domo, cui nomen "Johannes-Haus" (maximus
numerus participum erit 30), 140.- DM pro institutione (includitur pretium pro duabus
cenis Romanis et pro excursionem)

Inscriptiones ad hanc *Septimanam Latinam* petuntur usque ad diem 15^{um} mensis Iunii ad:

**Thomas Gölzhäuser
Kleeberger Straße 40
D-35510 Butzbach**

Vos, discipuli, studiosi, magistri sermonisque Latini amatores ad *Septimanam Latinam
Amoeneburgensem* invitamus. Discite Latine loqui! Cognoscite homines ex diversis nationibus! Studia
Latina vestra fructus ferent. Hoc inter colloquia, ludos, convivia experiemini et exercebitis. Novum
aditum ad cultum Romanum atque Europaeum demonstrare volumus. Sermo Latinus quam ad litteras
per saecula exprimendas tam in vita cotidiana adhuc valet. Etiam rem coquinariam Romanam colemus,
ut iucundam partem vitae Romanae antiquae cognoscamus. Apportate etiam, si vobis placet,
instrumenta musica! Si plus scire voletis, telephonate ad:

Thomas Gölzhäuser, tel. (0049)-6033-16557

Vos salutant

Wolfram Bohnhammel, Thomas Gölzhäuser, Mechtild Hofmann, Vanessa Kayling, Klaus Sallmann

Schedula inscriptionis ad nonam *Septimanam Latinam Amoeneburgensem*

Nona *Septimana Latina Amoeneburgensis* incipiet die 27^o mensis Iulii hora 16^a et finem habebit die
2^o mensis Augusti a. MXMVII^o hora 14^a. Institutur in domo "Johannes-Haus", Am Johannes 1,
D-35287 Amöneburg. Pretium pro institutione (140.- DM) usque ad diem 15^{um} mensis Iunii ad hunc
locum argentarium assignetur:

*Europäische Lateinwochen e.V.
D-60529 Frankfurt am Main
c.: 868205 (Frankfurter Sparkasse, 50050201)*

Una cum affirmatione inscriptionis Tibi etiam ampliores informationes de itinere deque *Septimana
Latina* mittemus.

Partem inferiorem mitte quaesumus ad:

Thomas Gölzhäuser, Kleeberger Straße 40, D-35510 Butzbach

Insimul me nonae *Septimanae Latinae Amoeneburgensi* inde a die 27^o mensis Iulii usque ad diem
2^{um} mensis Augusti a. MXMVII^o in domo "Johannes-Haus", Am Johannes 1, D-35287 Amöneburg,
futuram inscribo. Pretium institutionis (140.- DM) usque ad diem 15^{um} mensis Iunii ad locum
argentarium supra scriptum assignabo.

In domo "Johannes-Haus" habitabo non habitabo

Pretium pro victu et habitatione (330.- DM in camera duorum lectorum; 360.- DM in camera unius
lecti) in domo "Johannes-Haus" post adventum moderatoribus solvetur.

Datum et subsignatio (si quis 18^{um} annum nondum compleverit, parentes subsignent)

Nomen et inscriptio cursualis:

Tel:

Aetas:

Quot annos linguam Latinam didicisti?

FERIAE LATINAE NICENSES XI

IN AEDIBUS SEMINARII DIOECESIS NICENSIS

CELEBRABUNTUR

a Dominica die 24a mensis Augusti 1997, hora 17a
ad Dominicam diem 31am mensis Augusti 1997, hora 14a.

Sub auspiciis Operis Fundati Vaticani :

"LATINITAS"

Schedae inscriptionis rogandae sunt a :

Dr. Felix W. KUCHER
St. Margarethen 36
A-9100 VÖLKERMARKT (AUSTRIA)
Tel. 04231 2457

vel a :

M. C. DESESSARD
Résidence des Collines C.9.
500, rue Léo Brun
F-06210 MANDELIEU (FRANCOGALLIA)
Tel. 0493 490191 vel 0493 086793

Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS für mich selber)

Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:) -----
Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte frankieren

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann
publicity
Stadthausstrasse 65
CH-8400 Winterthur

Nomen emittentis et inscriptio cursualis:

RVMOR VARIVS
c/o D. Weissmann
Tellstrasse 30
3014 Bern

